

quasi quatuordecim, non fore noxae  
deglutitum aurum. Venditis igitur re-  
culis, lucratus novem sibi scutatos Ibe-  
ros, ne quis fortè cleperet, linteamini il-  
ligavit, ac deglutiit. Pharyngis autem  
angustiis non benè fasciculum capien-  
tibus, citò deformis & adspectu horri-  
bilis evasit, ob tumescetiam & oris ni-  
grorem.

Cùm nec detrudi sic nec extrahi moles quiret;  
Bronchotomia illicò tentata est. Qua facta, statim se  
recollegit, tam impetuosa ab aëris per plagam & in-  
gressi & egressi vehementia, ut adstantes etiam pave-  
rent. facieiq; livor & tumor, immissa canna plumbea  
abscessit, cadente in ventriculum bolo, qui post octi-  
dium cum alvina faece diversis vicibus excretus est,  
auro omni prorsus indemni.

Classis  
III.

## CAPVT IX.

**C**ommunis tam similaribus quàm Organicis parti-  
bus ordo ultimus constituendus venit.

Quam enim, ex magno magistro inculcatam audi-  
mus *ἑμπνοίαν καὶ εὐρέσιαν μίαν*, utrisque etiam illis com-  
petit, vel unionis & juncturae ope. Etiam heic ob-  
tinente Philosophis trito verbo; divisionem esse ad  
interitum viam, impedita evidenter actione, per fra-  
cturas, ulcera, vulnera, Cui